

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Siena, Biblioteca Comunale (I-Sc)  
L V 30, f. 144r-146r  
Transcription : Christian Meyer  
(juillet 2004 – rév. nov. 2017)

144r

<sup>1</sup> Primum et secundum capitulum prohemii *artis musice* Boetii hoc continetur.

<sup>2</sup> Nota quod omnia animalia habent cognitionem a sensu per naturam ut videre a visu, et audire ab auribus etc. <sup>3</sup> Non tantum sic est facile nisi expertis in philosophia cognoscere naturam et proprietatem rerum. <sup>4</sup> Nam vulgus faciliter cum intuetur quadratum vel triangulum oculis cognoscit secundum naturam, necesse est ut a geometria petat.

<sup>5</sup> Nota secundo cum musica sit una de quatuor mathematicis scientiis, scilicet musica, arismetica, geometria et astrologia, quae maxime sonos capiat per vim, auditus et iudicium et differentias sonorum cognoscat, atque dulces modos captet, precellentior est omnibus aliis quia non tantum speculationi est coniuncta sed etiam philosophie morali. <sup>6</sup> Propter hoc Plato precepit pueros instrui musicam modestam simplicem et masculam, quae modum gravitatis et virtutis haberet et non anfractam et effeminatam, magnam habentem differentiam, quae facit animum delabi ad lasciviam, et mores in honestos et impudicos, quare increpatus fuit Thimoteus Milesius, qui addidit septimum nervum lire et repertit genus musice chromaticum, molle et <lascivium>.

---

<sup>6</sup> lascivium<sup>2</sup>] +...+cium ? cod.

144v

<sup>7</sup>Nota tertio quod cum proprium sit humanitati remitti dulcibus modis et astringi contrariis, nulla est etas vel sexus quod naturali affectu et spontaneo quin musicis modis sit coniuncta, et cantilene oblectatione sic convenientes coaptata. <sup>8</sup>Propter quid dixit Plato animam mundi musica convenientia esse coniunctam, et nos compacti tali similitudine in suscipiendo vocis modulamen delectamus, quia similitudo amica est, dissimilitudo autem contraria et odiosa. <sup>9</sup>Hinc est quod diverse gentes diversas similitudines cantus habent, hii duris, hii mollibus gaudent, ut Thessali duris delectantur sicut Chiron <sup>1</sup> et Traces sicut Orpheus, ideo diverso vocabulo modi sive cantus nuncupantur, ut lidius, frigius.

<sup>10</sup>Nota quarto quod tanta fuit diligentia prisce philosophie de musica, quod iracundiam et alios dilapsos repressisse dicitur. <sup>11</sup>Nam Pitagoras ut sui mos erat cum quadam nocte stellas contemplaretur, cognovit quemdam adolescentulum, qui sono frigii modi fuit incitatus et multis amicorum monitionibus et nunquam a facinore voluit desistere. <sup>12</sup>Volebat enim pudice mulieris fores frangere, tunc Pitagoras precipit canere spondeum, et illo modo iuvenem ad statum mentis pacatissime temperavit.

<sup>13</sup>Nota quinto, statum anime et nostri corporis quedammodo compositum esse proportionibus et armonicis musicis, quia omnes sine gaudio, sine luctu oblectatione musica modulantur, unde antiquitus in more erat in luctu tibium preire. Item animi accenduntur bellico clangore. <sup>14</sup>Item cum quis audit modum, velut nolit, corpus affigit, cum ei similis motus sit. <sup>15</sup>Etiam si aliquis canere nescit aliquid, sibi canit, ut aliqua voluptate id quod canit afficiat, quare musice naturaliter coniuncti sumus, et ipsa si vellemus carere, non possumus.

<sup>16</sup>Tertium capitulum. Et incipit tractatus. Et primo de distinctione musice in genere.

<sup>17</sup>Genera musice sunt tria. <sup>18</sup>Primum dicitur mundanum, quod reperitur in ipso celo compage elementorum, et varietatem temporum maxime cum in ipso celo cursus cum tanta coapatatione stellarum coniuncti sint, alii altiores, alii inferiores feruntur, et

tante magnitudinis machina, quod non videtur possibile, ita velocissimi motus fieri sine sono.<sup>19</sup> Nec elementorum compago diversitates contrarias et potentias manu tenere possit nisi quadam armonia musica sic coniuncta esset. Nec varietas temporum in toto corpore ...<sup>+</sup> aliis subministrare posset, nisi conveniens musica consentanea suos fructus pariendo, in rato ordine temporis previderet, hyems constringit, ver laxat, estas torret, autumnus maturat, etc.<sup>20</sup> Sic modus vocis in gravibus cordis servatur ut non usque ad taciturnitatem descendat, atque vocis acuitas custoditur, ne nimium in altum transeat consentanea musica adaptatur.

<sup>21</sup> Secundum genus dicitur humanorum, quod non est aliud nisi rationis vivacitas permixta cum corpore coaptatio, armonica quedam est, sicut levium et gravium vocum consonantia efficitur contemperatio et placet Aristoteli quod non sit aliud nisi coniunctio rationabilis anime cum irrationabili.

<sup>22</sup> Tertium genus est quod dicitur instrumentale, quod in instrumentis constitutum est, ut in cithararum. <sup>23</sup> Hec enim musica famulatur | aut intensione ut nervis, aut spiritu ut tibiis, et hiis quae ad aquam moventur, aut percussione quaedam ut hiis quae concava aerea feriuntur atque inde diversi efficiuntur soni. <sup>24</sup> Et de isto genere primo dicit Boetius.

<sup>25</sup> Capitulum quartum de vocibus et elementis musicis

<sup>26</sup> Consonantia quae regit omnem modulacionem non potest fieri sine sono et sonus non potest fieri sine pulsu et percussione, pulsus vero et percussio sine motu. <sup>27</sup> Si omnia essent immobilia et unum non concurreret cum altero, nunquam fieret sonus.

<sup>28</sup> Sonus ergo est percussio aeris indissoluta usque ad auditum.

<sup>29</sup> Nota secundo quod motuum alii sunt velociores, alii tardiores et eorundem alii rariores, alii spissiores. <sup>30</sup> Motus enim tardus et rarus graves efficit sonos, sed celeres motus et spissi acutos causant sonos. <sup>31</sup> Hinc est si nervus amplius tendatur, acute sonat, si remittatur, grave, quia tensior velociorem pulsum reddit, celleriusque reverbitur et frequentius et spissius ferit aerem. <sup>32</sup> Laxior autem per oppositum tardos pulsus effert. <sup>33</sup> Nec putandum

quod quotiens corda percutitur solum unum sonum faciat, sed quia per ipsam cordam tremebundam, cum pellitur, velocitates sonorum sunt ita iuncte, quod nulla intercapedo auribus sentitur et solum unus sonus sensum pellit, aut gravis vel acutus, quamvis uterque ex pluribus constet, sicut si conum, quem turbonem dicunt, quis diligenter extornet, sicut virgula rubei coloris veloci-  
ter circumducta totius conus rubro colore videtur solum infectus, licet rei veritate non ita sit.

<sup>34</sup> Nota tertio quod sonus acutus ex pluribus constat quam gravis, quequidem pluralitas in quadam numerositate consistit et ipsa paucitas gravis soni ita se habet ad pluralitatem sicut numerus comparatus ad numerum, quorum numerorum partim sunt *equales*, partim *inequales*. <sup>35</sup> In hiis vocibus que discordant in omni *inequalitate omnino*, nulla fit consonantia. <sup>36</sup> Est enim consonantia dissimilium inter se vocum in unum redacta concordia.

<sup>37</sup> Capitulum quintum de modis *inequalitatis*.

<sup>38</sup> Primus modus *inequalitatis* appellatur *multiplex* quando alterum ab altero exceditur *multiplicitate*, ubi maior numerus continet minorem *precise bis*, *ter vel quater et sic deinceps*, et dicitur *duplum*, *triplum* etc. ut 4 ad 2, 9 ad 3.

<sup>39</sup> Secundum genus *inequalitatis* vocatur *superparticularis*, ubi maior numerus continet minorem *singulis partibus*, ut cum continet minorem in se totum et cum hoc dimidiam partem, dice-  
tur *proportio sexqualtera*, ut 3 ad 2, si cum hoc continet tertiam partem *sexquitertia* appellabitur, ut 4 ad 3 et sic ultra.

<sup>40</sup> Tertium genus *inequalitatis* est ubi maior numerus totum intra se minorem *l* continet et insuper aliquantas partes et si insuper contineret duas vocabitur *proportio superbipartiens* ut 5 ad 3.

<sup>41</sup> Si vero <in>*super contineret tres*, vocabitur *supertripartiens*, ut 7 ad 4 et sic ulterius.

<sup>42</sup> Quartum genus *inequalitatis* est quando *multiplicitate superparticulari* adiungitur, ubi maior numerus in se totum continet minorem *bis vel tres quaelibet* et cum hoc aliquam partem eius. <sup>43</sup> Et si contineret *bis et dimidiam partem eius* vocabitur pro-

portio dupla sesquialtera, ut 5 ad 2.<sup>44</sup> Si vero bis et eius tertiam partem vocabitur proportio dupla sexquitertia, ut 7 ad 2 et sic ultra.

<sup>45</sup> Quintum genus inequalitatis appellatur multiplex superpartiens, ubi maior numerus minorem continet totum plusquam semel et eius plusquam unam partem aliquam et si bis et cum hoc duas insuper partes, vocabitur duplex superbipartiens, ut 8 ad 3, et si tres insuper partes, vocabitur duplex supertripartiens, et sic ultra.

<sup>46</sup> Capitulum sextum de quibus speciebus inequalitatis intendit musicum.

<sup>47</sup> Maxime de tribus speciebus inequalitatis intendit Boetius.

<sup>48</sup> Ideo nota primo quod cum quantitas sit duplex, scilicet continua et discreta, et gravitas et acutum in quantitate consistit, maxime videntur servare naturam continentie ex modo quo poterunt custodire discretam proprietatem quantitatis.

<sup>49</sup> Nota secundo quia quantitas continua cuiuscumque finite mensure per infinita mensuratur, et discreta a finito incipiens, scilicet ab unitate, in infinitum augetur, ipsa superparticularitas ex eo quod in infinitum minorem numerum minuit proprietatem quantitatis continue servat, quia semper minorem numerum continet et cum hoc dimidiam partem, tertiam, quartam, vel quintam etc. Et semper pars denominata a maiori numero decrescit, ut tertia a tribus, quarta a quatuor, ecce quod quarta potius minutior quam tertia invenitur, et tres superant quatuor.

<sup>50</sup> Nota tertio quod superpartiens videtur servare proprietatem quantitatis discrete, quia quodammodo a simplicitate discedit et habet duas vel tres vel quattuor a simplicitate discedens, exuberat ad quandam pluralitatem semper se continendo in integritate.  
<sup>51</sup> Nam duplum bis habet totum minorem numerum, triplum ter, etc.

<sup>52</sup>Capitulum septimum de comparatione proportionum musicis consonantiis.

<sup>53</sup>Nota utile primo quod omnes musice consonantie, aut in dupli, aut in triplici, aut in quadrupla, aut in sesqualtera, aut in sesquitercia proportione consistunt. <sup>54</sup>Et vocabitur in numeris sexquitertia, in sonis dyatessaron. <sup>55</sup>Que in numeris sexqualtera, dyapente appellatur in vocibus. <sup>56</sup>Que vero in proportionibus dupla, dyapason in consonantiis vocatur, tripla vero dyapente ac dyapason, | quadrupla autem bis dyapason.

146r

<sup>57</sup>Nota secundo quod sonus est casus emmeles, id est aptus melo in unam intensionem. <sup>58</sup>Nunc diffinitur sonus in specie, ille qui grece dicitur pthongos, dictus a similitudine loquendi. <sup>59</sup>Intervallum vero est soni gravis acutique distantia. <sup>60</sup>Consonantia est acuti soni gravisque mixtura suaviter uniformiterque auribus accidens. <sup>61</sup>Dissonantia est duorum sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera atque inicunda percussio quia dum sibimet volunt permisceri quodam modo utrosque integer nitique pervenire, et alter alteri afficit ideo ad sensum insuaviter transmittitur.

<sup>62</sup>Nota tertio iudicium quod habemus in musica non semper a sensu aurium accipiendum est, licet ipse auditus quodam modo principium sit et <quasi ad>monitionis huiusc artis vicem teneat, tamen postrema perfectio cognitionis et vis in cognitione rationis consistit sicut in aliis artibus. Qui vero certis regulis sese tenens nunquam aliqua errore prolabitur. <sup>63</sup>In sensu enim nullum iudicium certum, nulla comprehensio certa, si arbitrium rationis abscedat. <sup>64</sup>Nam ipse sensus maximis minimisque corruptitur, quia minus propter parvitatem difficillime captat auditus ex maximis propter sonitus intensionem surdescit.

<sup>65</sup>Capitulum octavum quomodo Pythagoras primo investigavit proportiones consonantie.

<sup>66</sup>Nota in hoc capitulo quod Pictagoras ratio dabat fide iudicio aurum in cognitione proportionum consonantiarum nec instrumentis sed solum monumentis regularum, non auribus propter

diversitatem etatum et alia contingentia hominibus quae faciunt variare iudicium, nec instrumentis propter etiam varationem quae nascitur in nervis ex siccitate et humiditate et gravitate et acuritate intensione etc.<sup>67</sup> Sed diu hoc cupiens scire, quasi quodam diurno deambulans, audivit pulsos malleos in officina fabrorum diversis sonis unam consonantiam personare.<sup>68</sup> Hec considerans arbitratus est vires ferientium efficere diversitatem sonorum, ideo ad opus accedens, precepit malleos inter se mutari, atque examinavit pondus malleorum et quia erant <...> [fortis finis]. Explicit.